

tura tentationis timiditas ejus ostendit: per meum enim mortis, usque ad negandi necessitatem coactus est. Clamor autem ejus poenitentiae suae gemitus est. *Rabbanus*. Respexit Dominus, & ad poenitentiam convertit; manum extendit, & indulgentiam tribuit: & sic discipulus salutem invenit: quia (Rom. 9.) „ non est volentis, „ neque currentis, sed miserentis Dei.“ *Hilarius* (ibid. paul. ante finem). Quod autem trepidante Petro, virtutem (1) perveniendi ad se Dominus non inducit, sed manu apprehensum sustinuit, hæc est ratio: solus enim passurus pro omnibus omnium peccata solvebat; nec socium admittit quicquid universitati præstatur ab uno. *Augustinus* de Ver. Domini (serm. 13. & 14.) In uno etiam Apostolo, idest Petro, in ordine Apostolorum primo & præcipuo, in quod figurabatur Ecclesia, utrumque genus significandum fuit; idest firmi in hoc quod super aquas ambulavit, & infirmi in hoc quod dubitavit: nam & unicuique sua cupiditas tempestas est. Amas Deum? Ambulas supra mare: sub pedibus tuis est sæculi timor. Amas sæculum? Absorbet te. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas cupiditatem, invoca Christi divinitatem. (a) *Rabbanus*. Aderit autem Dominus, si sopitis tentationum periculis, protectionis suae fiduciam retribuat; & hoc diluculo appropinquante: cum enim humana fragilitas pressuris obstita, suarum virium parvitatem considerat, erga se tenebras cernit; cum autem mentem ad supernum præsidium erexerit, repente exortum luciferi conspicit, qui totam vigiliam matutinam illuminat. (b) Nec mirandum, si ascenderit in naviculam Domino ventus cessavit: in quocumque enim corde Dominus per gratiam adest, mox universa bella quiescunt. *Hilarius* (can. 14.) Ascensu etiam Christi in navim, ventum, & mare esse sedatum, post claritatis suae reditum æterna Ecclesiae pax, & tranquillitas indicatur: & quia tunc manifestius adveniet, recte admirantes universi locuti sunt: *Vere Filius Dei es*. Confessio enim universorum tunc absoluta, & publica erit, Dei Filium non jam in humilitate corporea, sed in gloria caelesti pacem Ecclesiae reddidisse. *Augustinus* de Quæst. Evan. (Lib. 1. cap. 15.) Signatur enim, claritatem ejus tunc manifestam futuram, per speciem jam videntibus qui per fidem nunc ambulant.

(1) *Remigius*. Narraverat superius Evangelista, Dominum jussisse discipulos suos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum; nunc autem in cepta intentione perfe-

verans dicit, quo in transfretando pervenerint, dicens: *Et cum transfretassent, venerunt in terram Genezareth. Rabbanus*. Terra Genezar juxta stagnum Genezareth à loci ipsius natura nomen trahens, qua crispantibus aquis de seipso sibi excitare auram perhibetur: Græco enim vocabulo quasi generans sibi auram dicitur. *Chrysostramus* (hom. 51.) Monstrat autem Evangelista quod post multum tempus ad partes illas Christus venerat: & ideo sequitur: *Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam. Hieronymus* (super *Et cum cognovissent eum*.) Cognoverunt autem eum rumore, non facie: vel certe pro signorum magnitudine quæ perpetrabat in populis, vultu plurimis notus erat. Et vide quanta fides sit hominum terræ Genezareth, ut non præsentium tantum salute contenti sint, sed mittant ad alias per circuitum civitates. *Chrysostramus* (hom. 51.) Neque enim similiter ut prius ad domos trahebant, & tactum manus inquirebant; sed cum majori fide eum alliciebant: unde sequitur: *Et obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant eum ut vel simbriam vestimenti ejus tangerent*. Mulier enim quæ fluxum sanguinis patiebatur, universos hanc sapientiam edocuit, ut scilicet tangendo simbriam vestimenti Christi, salvarentur. Pater etiam quod tempus quo Christus absens fuit, non solum fidem eorum non dissolvit, sed & majorem reddidit, cujus virtute omnes salvati sunt: & ideo sequitur: *Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. Hieronymus* (super *Et cum transfretassent*.) Si autem sciremus quid in nostra lingua resonat Genezareth, intelligeremus quomodo Jesus per typum Apostolorum, & navis, Ecclesiam de persecutionis naufragio liberatam transfretat ad litus, & in tranquillissimo portu faciat requiescere. *Rabbanus*. Genezar enim interpretatur (2) ortus principium. Tunc autem plena nobis tribueretur tranquillitas quando paradisi per Christum nobis restitueretur hereditas, ac primæ stolæ jucunditas. *Hilarius* (can. 14.) Vel aliter. Finitis legis temporibus, & ex Israel quinque millibus virorum intra Ecclesiam collocatis, jam credentium populus occurrit, jam ipse ex lege per fidem salvus, reliquos ex suis infirmos ægrotosque (3) offert Domino; oblatique simbriis vestimentorum contingere optabant, salvi per fidem futuri; sed ut ex veste tota simbria, ita ex Domino nostro Jesu Christo, (4) Sancti Spiritus gratiæ virtus exit, quæ Apostolis data, ipsis quoque tamquam ex eodem corpore exeuntibus, salutem his qui contin-

gere

(1) *Al.* veniendi. (2) *Al.* ortus principium, item hortus principium. (3) *Al.* offerunt. (4) *Al.* Sancti Spiritus gratia virtus exit. *P. Nicolajus* habet Sancti Spiritus virtus exit. *Ex edit. P. Nicol.* (a) *Remigius* (b) *Rabbanus*.

gere cupiunt, subministrat. *Hieronymus* (in fin. Comment. in 14. cap. Matth.) Vel simbriam vestimenti ejus minimum mandatum intellige; quod qui transfretus fuerit, minimus vocabitur in regno caelorum: vel assumptionem corporis, per quam venimus ad Verbum Dei. *Chry-*

Sylomus (hom. 51. cir. medium.) Nos autem non solum simbriam, aut vestimentum Christi habemus, sed etiam corpus ejus, ut comedamus, Si ergo qui simbriam vestimenti ejus tetigerunt, tantam acceperunt virtutem, multo magis qui totum ipsum sument.

CAPUT XV.

(a) **T**unc accesserunt ad eum ab Hierosolymis scribæ, & pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam; & Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit; & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

(b) Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Esaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

(c) Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis, quia pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur. Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

(d) Respondens autem Petrus, dixit ei: Ediffere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in feces emittitur. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ; homicidia, adultèria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias: hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

(e) Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri, & Sidonis, & ecce mulier Chananæ à finibus illis egressa, clamavit dicens ei: Misere mei Domine fili David: filia mea male à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missum nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. At illa venit, & adoravit eum dicens: Domine, adjuva me. Qui respondens ait: Non est bonum fumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

(f) Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ, & ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos; ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes; & magnificabant Deum Israel.

(g) Jesus autem convocatis discipulis suis dixit: Misereor turbæ, quia triduo jam perleverant mecum, & non habent quod manducant; & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos ut saturemus turbam tantam? Et ait illis Jesus: Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisces. Et præcepit turbæ ut discumberent super terram. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis, & discipuli dederunt populo; & comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfluit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducaverant quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres.

(a) **R**abbanus. Homines Genezareth, & minus docti credunt; sed qui sapientes videntur, ad pugnam veniunt: juxta illud (supra 11.) *Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*: unde dicitur: *Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis scribae, & pharisæi.* Augustinus de Con. Evan. (Lib. 2. cap. 49.) Ita autem confert Evangelista narrationis suæ ordinem, dicens: *Tunc accesserunt*, ut quantum ipse transitus indicat, tunc etiam consequentium ordo servetur. *Chrysoströmus* (homil. 52.) Propter hoc autem Evangelista hic tempus designat ut ostendat ineffabilem illorum nequitiam nulli cedentem: tunc enim venerunt quando plurima signa operatus est, quando infirmos ex tactu simeon curaverat. Quod autem ab Hierosolymis venisse dicitur scribae, & pharisæi, sciendum est, quod per omnes tribus erant disseminati; sed qui in Metropoli habitabant, peiores aliis erant, velut ampliori fruentes honore, & majorem superbiam possidentes. *Remigius*. Duabus autem de causis reprehenduntur: & quia ab Hierosolymis venerant, id est à loco sancto descenderant; & quia seniores populi, & legis doctores erant; & non ad discendum, sed ad reprehendendum Dominum venerant: subditur enim: *Dicentes: Quare discipuli tui transgreduntur traditionem seniorum?* *Hieronymus* (in princ. Comment. in 15. cap. Matth.) Mira pharisæorum, scribarumque stultitia Dei Filium arguunt, quare traditiones hominum, & præcepta non servet. *Chrysoströmus* (ubi supra.) Vide autem qualiter & à sua interrogatione capiuntur: non enim dicunt: *Quare transgrediuntur legem Moysi*, sed *traditionem seniorum*: unde manifestum est, quod multa nova inducebant sacerdotes, quamvis Moyses dixerit (Deut. 4.) „ Non adjicietis „ ad verbum quod ego propono vobis hodie „ & non auferetis ab eo: “ & quando oportebat eos ab observationibus liberari, tunc amplioribus observationibus se alligabant, timentes ne aliquis eorum principatum auferret; terribiliores esse volentes, quasi & ipsi essent legislatores. *Remigius*. Quæ autem fuerint traditiones, manifestat Marcus (cap. 7.) cum ait: „ Pharisæi, & omnes Judæi, nisi crebro lavent manus suas, non manducant panem. “ Unde & hic discipulos reprehendunt, dicentes: *Non enim lavant manus suas cum panem manducant.* *Beda*. Verba enim Prophetarum carnaliter accipientes, quod dictum erat Esai. 1. „ Lava „ mini „ & mundi estote; “ de corpore solum lavando servabant; & ideo statuerant non nisi lotis manibus manducandum esse. *Hieronymus*

(1) *Al.* & neque non lavari pro lege habentes. &c.

(ubi supra.) Manus autem, id est opera, non corporis, sed animæ lavandæ sunt, ut fiat in illis verbum Dei. *Chrysoströmus* (hom. 52.) Ideo autem discipuli non lotis manibus manducabant, quia jam superflua despiciebant, ea solum quæ sunt necessaria attendentes; (1) & neque lavari, neque non lavari pro lege habentes, sed ut contingebat alterutrum facientes. Qui enim & ipsum necessarium cibum contemnebant, qualiter circa hoc studium haberent? *Remigius*. Vel reprehendebant pharisæi discipulos Domini, non de ista lavatione, quæ consueto more congruit, & necessariis temporibus agitur, sed de illa superflua quæ de superstitiosa traditione seniorum fuerat reperta. *Chrysoströmus* (ubi supra.) Christus autem non excusavit, sed confestim reclusavit, demonstrans quoniam eum qui magna peccat, pro parvis peccatis aliorum sollicitum esse non oportet; unde sequitur: *Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Non autem dicit, quod bene faciunt transgredientes, ut non det eis occasionem calumniæ neque tamen vituperat quod ab Apostolo factum est, ne approbet eorum traditiones; neque rursus accusat seniores, ne tanquam injuriatorem eum repulsiissent; sed increpat eos qui advenerant, tangens etiam seniores, qui talem traditionem staterant, dicens: *Hieronymus* (ubi supra.) Cum vos propter traditionem hominum præcepta Dei negligatis, quare discipulos meos arguendos creditis, quod seniorum iusta parvipendant, ut Dei præcepta custodiant? *Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem.* Honor in Scripturis non tantum in salutationibus, & officiis deferendis, quantum in electionibus, ac munerum oblatione sentitur. „ *Hoc* „ nora (inquit *Apostolus* 1. Tim. 5.) viduas, quæ „ vere viduæ sunt. “ Hic enim honor donum intelligitur. Præceperat ergo Dominus, vel imbecillitates, vel atates, vel penurias parentum considerans, ut filii honoraret etiam in vitæ necessariis ministrandis parentes suos. *Chrysoströmus* (hom. 52.) Voluit autem monstrare quod parentes essent valde honorandi, per hoc quod adjuvit & præmium, & pœnam. Sed Dominus hic præmium (2) præmittens quod honorantibus repromittitur, scilicet esse longævum super terram, ponit quod terribilius est, scilicet pœnam, ut & ipsos superfaceret, & alios attraheret: unde addit: *Et qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*: in quo demonstrat eos morte dignos esse. Si enim qui verbo dehonorat parentem, morte punitur; multo magis vos (3) qui opere; & non solum dehonoris

(2) *Al.* præmittens. (3) *Al.* qui opere non solum

parentes, sed & alios hoc docetis. Qui igitur neque vivere debetis, qualiter meos discipulos incusatis? Quomodo autem Dei mandatum transgrediantur, manifestat cum subdit: *Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit.* *Hieronymus* (super *Honora patrem, & matrem*.) Præmissam enim providentissimam Dei legem volentes scribae, pharisæique subvertere, ut impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, ut si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, Deo voluerit (1) vivere, qui verus est pater; oblatio Domini præponatur parentum muneribus. *Glossa*. (a) ordinaria (super illud, *Quicumque dixerit*.) Ut sit sensus: Quod ego offero Deo, & mihi, & tibi proderit; & ideo non debes sumere, scilicet res meas in tuos usus; sed pati ut Deo offeram. *Hieronymus* (super *Honora patrem tuam, & matrem*.) Vel certe ipsi parentes, qui Deo consecrata cernebant, ne sacrilegii crimen incurrerent, declinantes; egestate consciebantur; atque ita fiebat ut oblatio liberorum sub occasione templi, & Dei in lucra cederet sacerdotum. *Glossa*. Ut sit sensus: *Quicumque*, id est quisquis vestrum, o juvenes, dixerit, id est dicere poterit, vel dicet, patri, vel matri: O pater, munus quod est ex me, Deo jam devotum, proderit tibi! admittando; quasi diceret: Non debes sumere, ne sis reus sacrilegii. Vel potest legi per defectum, hoc modo: *Quicumque dixerit patri, &c.* subaudi, faciet Dei mandatum, vel complebit legem; vel erit dignus vita æterna. *Hieronymus* (ubi supra.) Potest autem & hunc breviter habere sensum. Compellitis, inquit, filios, ut dicant parentibus suis: Quodcumque donum oblaturus eram Deo, in tuos consumis cibos, tibi que prodest, o pater, & mater: quasi diceret, non. *Glossa*. Et sic propter istas persuasiones avaritiæ vestre, ille juvenis non honorificabit patrem, & matrem: unde sequitur: *Et non honorificabit patrem, & matrem*; quasi diceret: Vos filii ista pessima suastis; & propter hoc filius postea patrem, & matrem non honorificabit; & ita mandatum Dei de sustentandis parentibus fecistis irritum propter traditionem vestram, scilicet avaritiæ vestre servientes. *Augustinus* contra Adversarium legis, & Prophetarum (Lib. 2. cap. 1.) Evidenter autem hic Christus ostendit, & illam esse Dei legem quem hæreticus blasphemavit, & Judæos habere suas traditiones à libris prophetis, & legitimis alienas; quas *Apostolus* appellat pro-

(1) *Al.* solvere. (2) *Al.* eum.

Ex edit. P. Nicol. (a) Est Anselmi, non Glossa quæ nunc extat. (b) Ex parte tantum, vel implicite; sed expresse Anselmus quoad omnia, & ex integro.

phanas fabulas, & viles. *Augustinus* contra Faustum (Lib. 16. cap. 24.) Multa etiam nos hic Dominus docet: & Judæos à Deo suo se non avertere, & ejus mandata non tantum se non infringere, verum etiam illos à quibus infringere arguere, & non nisi per Moysen ista mandasse. *Augustinus* de Quest. Evang. (Lib. 2. cap. 16.) Vel aliter. *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit*; id est, munus quod offers causa mei, ad te jam pertinebit: quibus verbis significant filii jam sibi non necesse esse parentum pro se oblationem, quod ad eam ætatem pervenissent ut possent jam ipsi offerre pro se. In hac ergo ætate constitutos, ut possent parentibus suis hoc dicere, cum hoc dixissent, negabant pharisæi reos esse, si parentibus non præstarent honorem.

(b) *Chrysoströmus* (hom. 52.) Monstraverat Dominus quod pharisæi non erant digni accusare transgredientes mandata seniorum; cum Dei legem destruerent; rursus autem demonstrat hoc ipsum & à Propheta: unde dicit: *Hypocrita, bene prophetavit de vobis Esaias dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est à me.* *Remigius*. Hypocrita dicitur simulator, quia aliud opere simulat, & aliud corde gestat. Isti ergo bene hypocritæ dicuntur, quia sub honore Dei, terrena sibi lucra accumulare cupiebant. *Rabbanus*. Prævidit autem Esaias simulationem Judæorum; quod in dolo pugnant contra Evangelium; & ideo dixit ex persona Domini: *Populus hic labiis (2) me honorat &c.* *Remigius*. Judæorum namque populus labiis, & ore Deo appropinquare, & honorare eum videbatur: quia unius Dei cultum se habere gloriabatur; sed corde longe à Deo recessit: quia visis signis atque miraculis, nec divinitatem ejus cognoscere; nec eum suscipere voluerunt. *Rabbanus*. Item labiis eum honorabant quando dicebant (infra 22.) *Magister, scimus quia verax es*; sed cor eorum longe ab eo fuit quando miserunt insidiatores, ut eum caperent in sermone. *Glossa* (b) (ord. super illud, *Labiis me honorat*.) Vel commendando exteriorum munditiam eum honorabant; sed dum interiori, quæ vera est, carebant, cor eorum longe erat à Deo, & illi talis honor inutilis erat: unde sequitur: *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas; & mandata hominum.* *Rabbanus*. Non enim habebunt mercedem cum veris cultoribus, docentes doctrinas, & mandata hominum, contemptis præceptis divinis. *Chrysoströmus* (hom. 52. in Matth.) Augmentata ergo accusatione phari-

saorum à testimonio Prophetæ, & illis non emendatis, jam eis non loquitur, sed turbis: unde dicit: *Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite.* Quia turbis dogma excelsum, & multa philosophia plenum propositurus erat, non simpliciter hoc enuntiat, sed susceptibilem facit sermonem. Primo quidem (1) & ore, & sollicitudine exhibita circa turbas; quod ostendit Evangelista dicens: *Et convocatis ad se turbis.* Deinde etiam susceptibilem facit sermonem ex tempore: quia post mortuos suscitatos, post victoriam contra phariseos habitam, tunc legem proponit, ut facilius suscipiatur. Et non solum simpliciter turbas advocavit, sed etiam eos attentiores fecit in hoc quod dixit: *Audite, & intelligite;* id est, attendite & erigimini mente ad hoc audiendum. Non autem dixit eis, Nihil est observatio esearum, neque quod Moyses male injunxerat; sed per modum admonitionis, & consilii, à rerum ipsarum natura testimonium accipiens ait: *Non quod intrat in os, co inquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc co inquinat hominem.*

Hieronymus habet *Communicat.* Hieronymus (super *Non quod intrat.*) Verbum *communicat* proprie Scripturarum est, (2) & publico sermone non teritur. Populus autem Judæorum, (3) partem Dei se esse jactans, communes cibos vocat, quibus omnes utuntur homines; verbi gratia, suillam carnem, ostreas, lepores: & istiusmodi animalia, quæ ungulam non fiunt, nec ruminant, nec squamosa in piscibus sunt. Unde & in Actibus Apostolorum (cap. 10.) scriptum est: „ Quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris. „ Commune ergo quod ceteris hominibus patet, & quasi non de parte Dei, pro immundo appellatur. *Augustinus* contra Faustum (Lib. 6. cap. 6. & 7.) Testamento autem veteri non est contraria ista sententia, qua Dominus dicit: *Non quod intrat in os: in qua Apostolus ad Tit. 1. dicit: „ Omnia munda mundis; „ & 1. Timoth. 4. „ Omnis creatura Dei bona est. „ Si possunt, hoc Apostolum de ipsis dixisse naturis, intelligant Manichæi; illas autem litteras, propter quasdam præfigurationes temporis congruentes, animalia quedam, non natura, sed significatione immunda dixisse. Itaque, verbi gratia, si de porco, & agno requiratur, utrumque natura mundum est, quia (4) natura omnis creatura Dei bona est; quadam vero significatione agnus mundus, porcus immundus est: tamquam si stultus, & sapientem diceret, utrumque hoc verbum natura vocis, & litterarum, & syllaba-*

(1) P. Nicolai, forte melius, legit honore, & sollicitudine. (2) Al. & proprio. (3) Al. cum partem. (4) Al. omittitur natura. (5) Al. significavit. (6) Al. deest eam.

rum, quibus constat, utique mundum est; significatione autem unum horum verborum, quod dicitur stultus, immundum dici potest, non natura sui, sed quoniam quoddam immundum significat. Et fortasse quod est in rerum figuris porcus, hoc est in hominum genere stultus; & tam illud animal quam ista dæ syllabæ, quod dicitur stultus, quoddam unum idemque (5) significant. Immundum quippe illud animal in lege positum est, eo quod non ruminet; non autem hoc ejus vitium, sed natura est. Sunt autem homines, qui per hoc animal significantur, immundi proprio vitio, non natura; qui cum libenter audiant verba sapientiæ, postea de his omnino non cogitant. Quod enim utile audieris, velut ab intestino memorie, tanquam ad os cogitationis recordandi dulcedine revocare, quid aliud est quam spiritualiter ruminare? Quod qui non faciunt, illorum animalium genere figurantur. Hæ autem similitudines rerum in locutionibus, vel observationibus figuratis rationales mentes utiliter, & suaviori movent; sed priori populo multa talia non tantum audienda, verum etiam observanda præcepta sunt. Tempus enim erat quo non tantum dicitis, sed etiam factis prophetizari oportebat ea quæ posteriore tempore fuerant revelanda: quibus per Christum atque in Christo revelatis, fidei Gentium onera observationum non sunt imposita, prophetiæ tamen est auctoritas commendata. Requiro autem à Manichæis, utrum ista Domini sententia qua dixit, non inquinari his hominem quæ in os ejus intrant, vera, aut falsa sit. Si falsam dicunt, (6) cur eam eorum doctor adimantur à Christo prolata, utrumque ad expugnandum veteris testamentum objecit. Si autem vera est, cur adversus eam credunt se coinquinari? *Hieronymus* (super *Non quod intrat in os.*) Opponat autem prudens lector, & dicat: Si quod intrat in os, non co inquinat hominem, quare idolothytis non vescimur? Sciendum igitur, quod ipsi quidem cibi, & omnis Dei creatura per se munda sit; sed idololorum, & dæmonum invocatio ea facit immunda, apud eos scilicet qui cum conscientia idoli idolothytum manducant, & conscientia eorum, cum sit infirma, polluitur, ut Apostolus dicit. *Remigius.* Quicumque autem tantæ fidei est ut intelligat creaturam Dei nullo modo inquinari posse, sanctificetur cibus per verbum Dei, & orationem, & comedat quicquid vult; ita tamen quod hæc licentia offendiculum non fiat infirmis, ut Apostolus dicit.

(c) *Hieronymus.* Ex uno sermone Domini, om-

omnis superstitionum observationum Judaicarum fuerat elisa, qui in cibis sumendis abominandique religionem suam sitam arbitrabantur. *Chrysostomus* (hom. 52.) Præmissa itaque cum audissent pharisei, nihil contradixerunt illi, quia vehementer eos convicerat, non redarguendo solum, sed & dolum illorum propalando; sed scandalizati sunt, pharisei scilicet, non autem turbæ: unde dicitur: *Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia pharisei, audito hoc verbo, scandalizati sunt? Hieronymus* (super *Accedentes discipuli ejus.*) Quia crebro teritur in ecclesiasticis scripturis scandalum, breviter dicendum quid significat scandalum. Non offendiculum, vel ruina, & impactionem pedis possumus dicere. Quando ergo legimus, Quicumque scandalizaverit, hoc intelligimus, Qui dicto, vel facto occasione ruina dederit. *Chrysostomus* (hom. 52.) Christus autem non solvit phariseorum scandalum, sed magis eos increpavit: unde sequitur: *At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Hoc autem Manichæi de lege dictum esse dicunt; sed confutant eos quæ antea dicta sunt. Si enim de lege dixisset, qualiter superius pro lege pugnavisset; dicens: *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Qualiter etiam Prophetam induxisset in medium? Si etiam Deus dixit Exod. 20. „ Honora patrem, & matrem; „ qualiter hoc quod in lege dictum est, non est Dei plantatio? *Hilarius* (can. 14. in fin.) Dicens ergo omnem plantationem, (1) quæ non à Patre fit, docet traditionem hominum eradicandam, cujus favore, legis præcepta transgressi sunt. *Remigius.* Omnis etiam falsa doctrina, & superstitiosa observatio cum suis actoribus permanere non potest; & quia à Deo Patre non est, cum eisdem eradicabitur. Illa ergo sola permanebit quæ à Deo Patre est. *Hieronymus* (super *At ille respondens dixit.*) Numquid ergo eradicabitur & illa plantatio, de qua Apostolus 1. Corinth. 3. ait: „ Ego plantavi, Apollo rigavit? „ Sed solvitur quæstio ex eo quod sequitur: „ Deus autem incrementum dedit. „ Dicit & ipse: „ Dei „ agricultura, Dei edificatio estis: „ & alibi: „ Cooperatores Dei sumus. „ (2) Si autem cooperatores Dei, plantante Paulo, & rigante Apolline, Deus cum operatoribus suis plantat, & rigat. Aburuntur autem hoc loco qui diversas naturas introducunt, dicentes: Si plantatio quam non plantavit Pater, eradicabitur; ergo quam ille plantavit, non potest eradicari.

S. Thom. Oper. Tom. III.

(1) P. Nicolai corrigi sic: quæ non à Patre erueudam, cujus favore &c. (2) Al. Si autem tem cooperatores Dei, igitur plantante &c. (3) Al. retrahi-

Sed audiant illud Hieremiæ cap. 2. „ Ego vos „ plantavi vineam veram: quomodo versi estis „ in amaritudinem vitis alienæ? „ Plantavit quidem Deus, & nemo potest eradicare plantationem ejus. Sed quoniam ista plantatio in voluntate proprii arbitrii est, nullus alius eam eradicare poterit, nisi ipsa tribuerit assensum. *Glossa* (interlinearis.) Vel plantatio ista doctores legis significat cum sequacibus suis, qui Christum non habebant fundamentum. Quare autem sunt eradicandi, subditur: *Sinite illos: Cæci sunt, & duces cæcorum. Rabbanus.* Cæci quidem sunt, id est luce mandatorum Dei privati; & sunt duces cæcorum, quia alios in precipitium trahunt, errantes, & in errorem mittentes: unde subditur: *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Hieronymus* (super *Si cæcus cæco.*) Hoc etiam est quod Apostolus præceperat ad Tit. 3. „ Harreticum „ hominem post primam & alteram correptionem devita, sciens quod perversus sit hujusmodi. „ In hunc sensum & Salvator præcepit doctores pessimos dimittendos arbitrio suo, sciens eos difficulter ad veritatem posse (3) trahi.

(d) *Remigius.* Confueverat Dominus parabolice loqui; & ideo Petrus cum audisset, *Quod intrat in os, non co inquinat hominem,* putavit illum parabolice fuisse locutum; & ideo interrogavit, ut subditur: *Respondens autem Petrus dixit ei: Ediffere nobis parabolam istam.* Et quia ex persona ceterorum hoc dixerat, idcirco simul cum aliis à Domino reprehensus est: unde sequitur: *At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Hieronymus* (super *Ediffere nobis.*) Corripitur autem à Domino, quare parabolice dictum putet, quod perspicue locutus est. Ex quo animadvertimus, vitiosum esse auditorem qui obscura manifeste, aut manifeste dicta, obscure velit intelligere. *Chrysostomus* (hom. 52.) Vel ideo Dominus increpat eum, quia non erat ex incertitudine quod quæsierat, sed ex scandalo quo scandalizatus erat. Turbæ enim non intellexerant quod dictum erat; discipuli autem scandalizati fuerant: unde à principio quasi pro phariseis interrogare volebant; sed quia audierant eum magna dicentem, *Omnia plantatio &c.* represi fuerunt. Sed Petrus, qui ubique fervens erat, neque ita sitit; quem Dominus increpat, & increpationi rationem addidit dicens: *Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Hieronymus* (super illud *Non intelligitis.*) Ex hac sen-

R 3

ten-
fit, eradicandam, docet, traditionem hominum cooperatores, igitur plantante &c. (2) Al. Si autem Al. retrahi-

tentia quidam calumpniatur, quod Dominus physica disputationis ignarus, putet omnes cibos in ventrem ire, & in fecesum digerit; cum statim infuse escæ per artus, & venas, ac medullas, nervosque fundatur. Sed sciendum, quod tenuis humor, & liquens esca, cum in venis, & artubus concocta fuerit, & digesta, per occultos meatus corporis quos Græci *poros* vocant, ad inferiora dilabitur, & in fecesum vadit. *Augustinus* de vera Religione (cap. 40. in princ.) Alimenta carnis corrupta, id est amittentia formam suam, in membrorum fabricam migrant, & corrupta reficiunt, in aliam formam per convenientiam transiunt, & per vitalem motum dijudicantur quodammodo, ut eis in structura huius pulchri visibilis, quæ apta sunt, assumantur, non apta vero per congruos meatus abijciuntur: quorum alii foeculentissimum reddunt terræ ad alias formas assumendas, alii per totum corpus exhalant, alii totius animalis latentis nervos accipit, & inchoatur in prolem. *Chrysoströmus* (hom. 52.) Cum autem hoc Dominus dicit, adhuc discipulis, secundum Judaicam infirmitatem respondet: dicit enim, quoniam cibus non manet, sed egreditur; quamvis etsi maneret, non faceret immundum. Sed nondum hæc audire poterant. Propter hoc autem & Moyses per tantum tempus dicit esse immundos, quantum cibus intus manet: in vespere enim jubet lavari, & mundum esse, quasi tempus digestionis, & egestionis dimetiens. *Augustinus* 15. de Trinit. (cap. 10.) Duo autem quædam hominis ora Dominus complexus est, unum corporis, aliud cordis: nam cum dicit, *Omne quod in os intrat, non co inquinat hominem*, apertissime demonstravit os corporis; at in eo quod sequitur, *os cordis ostendit*, dicens: *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea co inquinant hominem*. *Chrysoströmus* (hom. 52.) Quæ enim cordis sunt, intus in homine manent, & exeuntia inquinant, non manentia solum; immo tunc magis cum exierint: unde subiunxit: *De corde enim exeunt cogitationes malæ*: quas primo ponit, quia hoc erat Judaicum vitium, qui scilicet ei insidiabantur. *Hieronymus* (super *De corde exeunt*.) Principale igitur animæ non, secundum Platonem, in cerebro est, sed juxta Christum in corde, & arguendi sunt ex hac sententia qui cogitationes à diabolo immitti putant, & non ex propria nasci voluntate. Diabolus adjutor esse, & incensor malarum cogitationum potest esse, auctor esse non potest. Si autem semper in infi-

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat, nec in Anselmo, vel alibi occurrit. (b) Neque hoc apud Glossam, qualis nunc extat, reperitur, ut nec apud Anselmum, vel alium Interpretem qui ad manum sit.

diis positus levem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammaverit; non debemus opinari eum quæque occulta cordis rimari; sed ex corporis habitu, & gestibus æstimare quid versemus intrinsecus. Verbi gratia, si pulchram mulierem nos erebro videri inspicere, intelligit cor ab oculis vulneratum. *Glossa*. (a) Ex cogitationibus autem malis proveniunt & mala facta, & mala verba, quæ lege prohibentur: unde subdit, *Homicida*, quæ prohibentur illo legis præcepto, Non occides: adulteria, fornicationes, quæ intelliguntur prohiberi illo præcepto, Non mœchaberis: furta, quæ prohibentur illo præcepto, Non furtum facies: falsa testimonia, contra illud præceptum: Non dices adversus proximum tuum, falsum testimonium: blasphemia, contra illud præceptum, Non assumas nomen Dei, in vanum. *Remigius*. Nominatis autem vitiiis, quæ divina lege prohibentur, pulchre Dominus subjungit: *Hæc sunt quæ co inquinant hominem*; id est, immundum, & impurum reddunt. *Glossa*. (b) Et quia hujusmodi verba Domini ex pharisæorum nequitia occasionem fumpserant, qui traditiones suarum divinis præceptis præferrebant; consequenter concludit inconvenientiam traditionis præmissæ, dicens: *Non lotis autem manibus manducare non co inquinat hominem*. *Chrysoströmus* (hom. 52.) Non autem dixit, *Escas* in lege prohibita manducare non co inquinat hominem, ut non possent illi contradicere; sed concludit de illo de quo disputatio erat.

(c) *Hieronymus* (super *Et egressus inde Tyri, & Sidonis*.) Scribis, & pharisæis, & calumniatoribus derelictis, transgreditur in partes Tyri, & Sidonis. *Remigius*. Tyrus, & Sidon civitates fuere gentiliis: nam Tyrus metropolis fuerat Chananæorum, Sidon terminus Chananæorum respiciens ad aquilonem. *Chrysoströmus* (hom. 53. in princ.) Considerandum autem, quod quando ab escarum observatione Judæos eripuit, tunc & Gentibus janua aperuit; sicut & Petrus prius in visione justus est hanc legem solvere, & post ad Cornelium mittitur. Si quis autem querat, cum discipulis suis dixerit (supra 10.) *In viam Gentium ne abieritis*, qualiter hæc ambulat viam. Primum quidem illud dicemus, quia non erat obnoxius præcepto quod discipulis dederat. Secundo autem quia neque ut prædicaturus abiit: unde & Mar-

Marcus dicit (cap. 7.) quoniam occultavit seipsum. *Remigius*. Ivi autem, ut Tyrios, Sidonioque curaret; sive ut hujus mulieris filiam liberaret à demonio, quatenus per ejus fidem, scribarum, & pharisæorum nequitiam condemnaret: de qua quidem muliere subditur: *Et ecce mulier Chananæa à scribis illis egressa*. *Chrysoströmus* (hom. 53. non remore à principio.) Dicit autem Evangelista eam esse Chananæam, ut ostendat virtutem præsentie Christi. Chananæi enim, qui expulsi fuerant, ut non perverterent Judæos, hi Judæis apparuerunt prudentiores, ut exirent à terminis suis, & accederent ad Christum. Cum autem hæc mulier accessisset, nihil aliud quam misericordiam poposcit: unde sequitur: *Clamavit dicens ei: Miserere mei Domine fili David*. *Glossa*. (a) Magna fides Chananææ hic notatur. Deum credit, ubi Dominum vocat; hominem, ubi dicit filium David. Nihil ex merito postulat, sed solam misericordiam Dei implorat, dicens, *Miserere*. Nec dicit, *Miserere filie*, sed *Miserere mei*; quia dolor filie dolor est matris; & ut magis eum ad compassionem moveat, totum ei dolorem enarrat: unde sequitur: *Filia mea male à demonio vexatur*: in quo vulnera medico detegit, & magnitudinem, & qualitatem morbi: magnitudinem cum dicit, *Male vexatur*; qualitatem cum dicit, *A demonio*. *Origenes* in hom. (b) (7. in divers. locos.) Vide autem prudentiam femine: non ivit ad homines seductores, non quæsitivus inanes ligaturas; sed omnes relinquens diaboli cultus, venit ad Dominum. Non petiit Jacobum, non rogavit Joannem, non accessit ad Petrum; sed suscepit in se poenitentiam patrociniis, & sola cucurrit ad Dominum. Sed vide inexpertum negotium. Petiit, & lamentum suum producit in clamorem; & amator hominum Deus non respondet verbum: unde sequitur: *Qui non respondit ei verbum*. *Hieronymus* (super *Qui non respondit ei verbum*.) Non autem de superbia pharisæica, nec de scribarum supercilio, sed ne ipse sententia suæ contrarius videretur: per quam jussisset (supra 10.) *In viam Gentium ne abieritis*: nolebat enim occasionem calumpniaribus dare, perfectamque salutem Gentium passionis, & resurrectionis temporis reservabat. *Glossa*. (c) Differendo etiam, & non respondendo, patientiam mulieris, & perseverantiam nobis ostendit. Ideo etiam non respondit, ut discipuli pro ea roarent: ostendens

per hoc, necessarias esse preces sanctorum ad aliquid impetrandum: unde sequitur: *Et accedentes discipuli ejus, rogabant eum, dicens: Dimitte eam, quia clamat post nos*. *Hieronymus* (super illud *Accedentes discipuli*.) Discipuli adhuc illo tempore mysteria Domini nescientes, vel misericordia moti, rogabant pro Chananæa muliere, vel importunitate ejus carere cupientes. *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 29. par. ante med.) Asserti autem aliquam repugnantiam quæstionem quod Marcus in domo dicit fuisse Dominum cum ad illum venit mulier pro filia sua rogans, Matthæus autem post intelligi de domo tacuisse, eandem tamen rem commemorasse. Sed quoniam dicit, discipulos Domino ita suggestisse: *Dimitte illam, quoniam clamat post nos*, nihil videtur aliud significare quam post ambulantem Dominum, mulierem istam deprecatoriam vocem misisse. Intelligendum est ergo, dixisse quidem Marcus, quod intraverit ubi erat Jesus, cum eum prædixisset fuisse in domo. Sed quia Matthæus ait, *Non respondit ei verbum*, dedit agnoscere, quod tacerunt ambo, & in eo silentio egressum fuisse Jesum de domo illa; atque ita cetera contentuntur, quæ jam in nullo discordant. *Chrysoströmus* (hom. 55. aliq. à principio.) Estimo autem & discipulos ad calamitatem mulieris esse tristatos; sed tamen non sunt ausi dicere, Da ei hanc gratiam, sed *Dimitte eam*; sicut & nos cum volumus alicui persuadere, multotiens contraria dicimus.

Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. *Hieronymus* (super *Non sum missus nisi ad oves*.) Non autem hoc dicit, quin ad Gentes non missus sit, sed quod primum ad Israel missus est, ut illis non recipientibus Evangelium, justa fieret ad Gentes transmigratio. *Remigius*. Specialiter etiam missus est ad salutem Judæorum, ut etiam corporali præsentia eos doceret. *Hieronymus* (super *Ad oves Israel*.) Signanter autem dixit, *Ad oves perditas domus Israel*, ut etiam ex hoc loco (1) nanc erroneam ovem de alia parabola intelligamus. *Chrysoströmus* in hom. 53. Sed quia mulier vidit, nihil posse Apostolos (2) inverecunda effecta est bona inverecundia: ante enim neque in conspectum venire audebat: unde dictum est, *Clamavit post nos*. Quando autem videbatur ut angustiat recederet, tunc propius venit: unde sequitur: *At illa venit, &*

(1) *Al. omittitur* nunc. (2) *Al. inverecunda* facta est: ante enim &c.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo. (b) *Chrysoströmus* in hom. 17. in varios Matthæi locos: non Origenes, ut prius notabatur pro Chrysostrómo, apud quem hæc habentur extra Commentarium homiliarum in Matthæum, serie tamen aliquatenus mutata in eo loco quem notamus. (c) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo.

adoravit eum. Hieronymus (super *At illa venit, & adoravit.*) Nota, quod ita Chananicidis per seveantem primum, filium David, deinde Dominum vocat, & ad extremum, Deum adoravit. Chrysostramus (hom. 53. super *Non est bonum.*) Ideoque non dixit, *Roga, vel deprecare Deum; sed Domine adjuva me*: Quanto ergo magis mulier multiplicabat supplicationem, tanto & ipse multiplicabat negationem: & non adhuc Judæos oves vocat, sed filios, illam autem canem: unde sequitur: *Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Glossa. (a) Filii sunt Judæi generati, & nutriti sub cultu unius Dei per legem; panis est Evangelium, miracula, & alia quæ ad salutem nostram pertinent. Non est ergo conveniens ut à filiis auferantur, & dentur Gentibus, qui sunt canes, donec Judæi repudient. Rabbanus. Canes autem Gentiles propter idolatriam dicuntur, qui esui sanguinis dediti, & cadaveribus mortuorum, vertuntur in rabiem. Chrysostramus (hom. 53. in Matth.) Vide autem mulieris prudentiam, qualiter neque contradicere ausa est, neque tristata in aliorum laudibus, neque molestata in proprio convicio: unde sequitur: *At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Ille (1) dixit, *Non est bonum*, hæc autem dixit, *Utique Domine*: ipse Judæos filios vocat; hæc autem dominos: ipse canem eam nominavit; hæc autem & opus canis adjecit; ac si dicat: Si canis sum, non sum aliena: canem me dicis, ergo nutri me ut canem: non possum relinquere mensam Domini mei. Hieronymus (ubi supra.) Mira autem hujus mulieris fides, patientia, & humilitas prædicantur: fides, quæ credebatur sanari posse filiam suam; patientia, quæ totiens contenta in precibus perseverat; humilitas, quod se non canibus, sed catulis comparat. Scio me, inquit, filiorum panem non mereri, nec integros capere posse cibos, nec sedere ad mensam posse cum patre; sed contenta sum reliquiis catulorum, ut per humilitatem micam ad panis integri veniam magnitudinem. Chrysostramus (hom. 53. ante medium.) Propter hoc autem Christus tardabat: præciebat enim eam hoc dicturam, nec occultari volebat tantum mulieris virtutem: unde sequitur: *Tunc respondens Jesus ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis; ac si dicat: Fides tua majora his audire potest; verum intermisi tibi sicut vis. Vide (2) autem qualiter non parum & hæc mulier intulit in filie medicinam: propter hoc enim neque Christus dixit,*

(1) Al. dixerat. (2) Al. docuit autem.

Ex edit. P. Nicol. (a) Neque hoc est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo,

Sana sit filia tua; sed *Magna est fides tua: fiat tibi sicut vis*: ut discas quoniam simpliciter loquebarur, & non adulationis, sed multæ fidei erant verba ipsius. Hæc autem Christi vox similis est illi voci quæ dixit Gen. 1. „ Fiat firmamentum: & factum est: unde sequitur: *Et sanata est filia ejus ex illa hora.* Intende autem qualiter Apostolis non imperantibus imperat ipsa: tam magnum quid est instantia orationis: etenim pro nostris noxiis à nobis vult magis rogari, quam ab aliis pro nobis. Remigius. His etiam verbis datur nobis exemplum catechizandi, & baptizandi pueros: quoniam hæc mulier non ait, *Salva filiam meam*; aut adjuva eam; sed *Miserere mei, & adjuva me.* Hinc etenim descendit consuetudo in Ecclesia ut fideles pro suis parvulis fidem Deo promittant, quando ipsi non sunt tantæ ætatis, & rationis ut per se fidem Deo promittere valeant; quatenus sicut fide istius mulieris sanata est filia ejus, ita & fide virorum catholicorum peccata parvulis relaxentur. Allegorice autem hæc mulier sanctam Ecclesiam significat de Gentibus congregatam. Per hoc enim quod Dominus relictis scribis, & pharisæis, venit in partes Tyrri, & Sidonis, præfigurabatur quia relicturus erat Judæos, & transurus ad Gentes. Est autem hæc mulier egressa à finibus suis; quoniam Ecclesia sancta recessit à pristinis erroribus, & vitis. Hieronymus (super *Filia mea.*) Filiam autem Chananæ puto animas esse credentium, quæ male à dæmonio vexabantur, ignorantes creatorem, & adorantes lapidem. Remigius. Filios autem Dominus appellat Patriarchas, & Prophetas illius temporis. Per mensam designatur facta Scriptura, per micæ vero minima præcepta, vel interna mysteria, quibus sancta Ecclesia pascitur; per crustas vero carnalia præcepta, quæ Judæi observant. Micæ autem sub mensa comedi dicuntur, quia Ecclesia humiliter se submittit ad implenda divina præcepta. Rabbanus (super *Et catelli.*) Non autem crustas, sed micas de pane puerorum edunt catelli: quia conversi ad fidem, qui erant despecti in Gentibus, non litteræ superficiem in Scripturis, sed spiritualem sensum, quo in bonis actibus proficere valeant, inquirunt. Hieronymus (super *Etiam Domine.*) Mira autem rerum conversio! Israël quondam filius, nos canes: pro diversitate fidei ordo nominum commutatur: de illis postea dicitur Psalm. 21. „ Circumdederunt me canes multi: “ nos audivimus cum muliere: *Fides tua te salvam fecit.* Rabbanus (super *Magna est fides tua.*) Quæ merito magna dicitur;

tur: quia cum Gentes nec lege fuerint imbutæ, nec vocibus Prophetarum instructæ, ad prædicationem mox Apostolorum, in auditu auris obediunt; ideoque salutem impetrare meruerunt. Verum si ad primas Ecclesie rogantis lacrymas Dominus salutem animæ differt dare: non est desperandum, vel à petendo cessandum, sed magis precibus insistendum. Augustinus de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 18.) Quod & puerum Centurionis, & filiam Chananæ mulieris, non veniens ad domos eorum sanat, significat, Gentes, ad quas non venit, salvas fore per verbum suum. (1) Quod ipsis rogantibus filii sanantur, intelligenda est persona Ecclesie, quæ sibi est & mater, & filii: nam simul omnes quibus constat Ecclesia, mater dicitur, singuli autem idem ipsi filii appellantur. Hilarius (can. 15. in Matth.) Vel hæc mulier profelytorum formam præfert, fines suos egreditur, & ex Gentibus, scilicet in populi alterius nomen excedens: quæ pro filia, videlicet Gentium plebe, dominatu immundorum spiritu occupata, orat; & quia Dominum cognovit ex lege, David filium nuncupat. Rabbanus. Item si quis conscientiam habet alicujus vitii sordè pollutam, filiam habet male à dæmonio vexatam. Item si quis bona quæ gessit, peccatorum peste fœdavit, filiam habet imundi spiritus furis agitatum; ideoque necesse est ut ad preces, lacrymasque confugiat, sanctorumque intercessionem, & auxilia quaerat.

(f) Hieronymus. (a) Sanata Chananæ filia, revertitur Dominus ad Judæam: unde dicitur: *Et cum transfisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ.* Remigius. Hoc mare diversis vocabulis appellatur: dicitur enim mare Galilææ propter Galilæam adjacentem; mare Tiberiadis propter Tiberiadem civitatem.

Sequitur: *Et ascendens in montem, sedebat ibi.* Chrysostramus (hom. 53.) Considerandum autem, quod aliquando Dominus circuit, ut sanet infirmos; aliquando autem sedet, expectans eos; & ideo convenienter hic subditur: *Et accesserunt ad eum turba multa, habentes se cum mutos, claudos, cæcos, debiles, & alios multos.* Hieronymus (super *Et cum transfisset inde.*) In eo loco ubi Latinus Interpres transtulit *debiles*, in Græco scriptum est *cyllous*, quod non debilitatis generale, sed unius infirmitatis nomen est: ut quomodo claudus dicitur, qui per

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. quod rogantibus filii sanantur. Et intelligenda est &c. (2) Al. qui peccata confidentes ipsi soli curanda subjiciunt.

Ex edit. P. Nicol. (a) Glossa, nempe collateralis paulo plenius, ut & Anselmus, non, sicut prius, Remigius. (b) Vel potius Anselmus, ut jam supra, est obiter, ac ex parte duntaxat insinuat Glossa partim collateralis, partim interlinealis.

de claudicat uno, sic cyllous appelleretur qui unam manum debilem habet. Chrysostramus (hom. 53.) Hi autem in duobus fidem suam demonstrabant, & in ascendendo montem, & in hoc quia æstimabant se nullo alio indigere nisi ut projicerentur ad pedes Jesu: neque etiam adhuc tangunt sordibus vestimentis, sed & ad altiorum fidem ascendunt: unde dicitur: *Et projecerunt eos ad pedes ejus.* Et mulieris quidem filiam cum multa tarditate curavit, ut ejus virtutem ostenderet; his autem, non quia meliores erant, sed ut infidelium Judæorum orationem obstrueret, confessum sanationem præbet: unde sequitur, *Et curavit omnes.* Multitudo autem eorum qui curabantur, & facilis sanationis eos in stuporem mittebat: unde sequitur: *Ita ut turbæ mirarentur, videntes multos loquentes.* Hieronymus (ubi supra.) De debilibus tacuit, quia quid è contrario diceret, uno verbo non habebat. Rabbanus. Mystice autem, cum filia Chananæ præfigurasset salutem Gentium; venit in Judæam: quia, cum plenitudo Gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit: Rom. 11. Glossa. Mare autem juxta quod venit Jesus, turbida hujus sæculi volumina signati: quod est Galilææ, cum homines à vitis ad virtutes transmigrant. Hieronymus (super *Et curavit eos.*) Ascendit autem in montem, ut quasi avis teneros fetus provocet ad volandum. Rabbanus. Ut scilicet auditores suos erigat ad superna, & cælestia meditanda. Sedebatque ibi, ut demonstraret, non nisi in cælestibus requiem esse querendam. Eo autem sedente in monte, id est in calorum arce, accedant turbæ fidelium, devota mente illi appropinquantem, ducentes secum mutos, & cæcos &c. eosque ad pedes Jesu projiciunt: (2) quia peccata confidentes ipsi soli curandos subjiciunt: quos ita curat ut turbæ mirentur, & magnificent Deum Israel: quia fideles, quando viderint eos qui spiritualiter ægrotaverant, diversis operibus virtutum ditatos, laudem Deo decantant. Glossa. (b) Muti autem sunt qui non laudant Deum; cæci qui non intelligunt viam vitæ, surdi qui non obtemperant; claudi per deviam boni operis non recte euntes; debiles sunt qui infirmi sunt in bonis operibus.

(g) Hieronymus (super *Convocatis discipulis.*) Prius Christus infirmorum debilitates abstulerat, postea vero sanatis offert cibos. Convocat quoque discipulos suos, & quod facturus est lo-

quitur: unde dicitur: *Iesus autem convocatis discipulis suis dixit, Misit turbas.* Hoc autem facit ut magistris exemplum tribuat, cum minoribus atque discipulis communicandi consilia, vel (1) ut ex confabulatione intelligant signi magnitudinem. *Chrysoströmus* (hom. 34. circ. princ.) Turbas enim cum ad satisfactionem venissent, non audebant petere panes: unde ipse amator hominum, & omnium curam gerens, equam non petentibus dat: propter quod dicit, *Misit turbas.* Ne autem dicatur, quoniam venientes viaticum portaverant, dicit: *Quia tri-duo jam perseverant macum, & non habent quod manducent.* Etsi enim quando venerunt, cibos habuerunt, tamen iam consumpti erant: & propter hoc non in prima, aut secunda die hoc fecit, sed in tertia, quando iam omnia erant consumpta: ut prius ipsi in necessitate constituti, cum ampliori desiderio susceperent quod fiebat. *Monstrat* autem & quod de longe venerant, & nihil eis reliquum fuerat, in hoc quod dicit: *Et dimittere eos iugulos nolo, ne deficiant in via.* Cum autem nolit eos jejunos dimittere, ideo tamen non statim signum facit, ut ex hac interrogatione, & responsione attentiores discipulos faciat, & fidem suam ostendant, dicentes, *Hæc panes.* Et quamvis Christus plurima fecerit, ut miracula prius facti recordarentur, quia fecit eos ministrorum, & partiti sunt cophinos: adhuc tamen imperfectus dispositi erant: quod patet per hoc quod sequitur: *Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos ut satiemus turbam tantam?* Ipsi quidem infirma cogitatione hoc dixerunt: per hoc tamen miraculum futurum inspicabile facientes: ne aliquis enim suspicaretur quod ab aliquo propinquo castello accepti sunt cibi, propter hoc miraculum istud in solitudine fit, multum à castellis didante. Ipse autem Christus, ut discipulorum erigat mentem, eos interrogat, ut ex modo interrogationis eos commemoret illorum quæ prius facta sunt: unde sequitur: *Et ait illis Iesus: Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem, & pisciculos paucos.* Non autem addunt: *Sed hæc quid sunt inter tantos?* sicut antea dixerant: jam enim paulatim profecerant, licet non totum apprehendatur ab eis. Admirare autem in Apostolis veritatis amorem, qualiter ipsi scribentes non occultant suos etiam magnum defectus: non enim est quantalibet accusatio, parum ante tali signo facti confesum obliuisci. Admirare autem & aliam sapientiam eorum, qualiter ventrem superabant, non mul-

tam mensæ curam facientes: in eremo enim existentes, & per tres dies ibi morantes, solum septem panes ibi habebant. Alia vero similiter prioribus fecit: etenim recumbere eos fecit in terra, & in manibus discipulorum crescere panes: unde sequitur: *Et præcepit turbas ut discumberent super terram.* *Hieronymus* (super *Et dicunt ei discipuli.*) De hoc autem supra diximus, & eadem repetere oratio est: tantum in his quæ discrepant immogetur. *Chrysoströmus* (hom. 34.) Finis autem utriusque miraculi non similis est: sequitur enim: *Et quod superfluum de fragmentis, tulerunt septem sporias plenas.* Erant autem qui manducaverant quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres. Quare autem minores fuerunt reliquia in hoc miraculo quam in primo, etsi non tot fuerint qui comederunt? Aut igitur hoc est, quia spora cophinis majores erant: aut (2) ut ex diversitate rememoratur & illius, & hujus miraculi: & propter hoc tunc quidem fecit cophinos reliquiarum numero aequales discipulis, nunc autem sporas panibus aequales. *Remigius*. In hac autem evangelica lectione consideranda est in Christo operatio divinitatis, & humanitatis: per hoc enim quod turbis miseretur, ostendit se humane fragilitatis affectionem habere: in eo vero quod panes multiplicavit, & turbas pavit, ostendit divinitatis operatio. Describitur ergo hic error Eutychetis, qui in Christo dicebat unam naturam. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 50.) Sane (3) non abs re est admonere in hoc miraculo, quod si aliquis Evangelistarum hoc dixisset, (4) qui de quinque panibus non dixisset, contrarius ceteris putaretur. Sed quia illi qui miraculum de septem panibus narraverunt, nec illud de quinque tacerunt; neminem movet, & utrumque factum homines intelligunt. Hoc ideo diximus, ut sibi simile reperitur factum à Domino, quod in aliquo alteri alteri Evangeliste ita repugnare videatur ut omnino solvi non possit; nihil aliud intelligatur quam utrumque factum esse, & aliud ab alio commemoratum. *Glossa*. (a) (interlinearis). Notandum autem, quod prius Dominus auferet debilitates, & postea cibatur: quia prius sunt removenda peccata, & postea anima verbis Dei nutrienda. *Hilarius* (can. 15. in Matth. circ. fin.) Sicut autem illa turba quam prius pavit, Judaice credentium convenit plebi; ita hæc populo Gentium comparatur. Quod vero quatuor millia virorum congregantur, multitudo innumerabilium ex quatuor orbis partibus intelligitur.

(1) *Al. omittitur ut.* (2) *Al. hic quoque dicitur.* (3) *Al. ut abs re est &c.* (4) *In Veneta Nicolini editionis anni 1593. omittitur qui de quinque panibus non dixisset.*
 Ex edit. P. Nicol. (a) Quod subiungitur ex Glossa non est in Glossa, quæ nunc extat, sed in Anselmo.

tur. *Hieronymus* (parum ante finem Com. in cap. 15.) Ipsi etiam non sunt quinque millia, sed quatuor millia; qui numerus semper in laudibus ponitur: & quadrangulus lapis non fluctuat, non est instabilis: & ob hanc causam etiam Evangelia in hoc numero consecrata sunt. In superiori ergo signo, quia propinqui erant, & vicini quinque sensuum, non ipse Dominus eorum recordatur, sed discipuli; hic autem ipse Dominus misereri se dicit eorum, quia tri-duo jam perseverant cum eo: quia scilicet Patri, Filio, Spirituique Sancto credebant. *Hilarius* (can. 15. in Matth. à med.) Vel quia omne passionis dominicæ tempus cum Domino agunt: sive quia venturi ad baptismum consentunt se credere in passionem, ac resurrectionem eius: sive quia toto passionis dominicæ tempore jejuniis Domino quadam compulsionis societate junguntur. *Rabbanus* (super *Quia jam tri-duo.*) Vel hoc dicitur, quia in toto sæculo (1) triplex tempus est quo gratia datur: primum ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia: quartum est in cælo: ad quod tendens reficitur in via. *Remigius*. Vel quia peccata commissa per poenitentiam corrigentes, cogitatione, (2) locutione, & opere convertuntur ad Dominum. Has turbas noluit Dominus dimittere jejunos, ne deficerent in via: quia peccatores per poenitentiam conversi, in cursu labentis sæculi pereunt, si absque sacra doctrina pabulo dimittantur. *Glossa*. Septem panes sunt Scriptura novi testamenti, in quo gratia Spiritus Sancti & revelatur, & datur: neque sunt hordeacei, ut supra, quia non hic, ut in lege, vitale alimentum figuris quasi tenacissima palea tegitur: hic non duo pisces, ut in lege duo (3) ungebantur, scilicet Rex, & Sacerdos; sed pauci, id est sancti novi testamenti, qui de fluctibus sæculi erepti, & sustinent turbulentum mare, & exemplo suo nos reficiunt, ne in via deficiamus. *Hilarius*

(can. 15. parum ante finem.) Turbas autem in terra recumbunt: nullis enim legis operibus fuerant ante (4) substractæ: sed peccatorum, & corporum suorum (5) inhærebant. *Glossa* (ordinaria super illud, *Septem sporias*.) Vel ibi super fenem, ut desideria carnis comprimantur; hic super terram, ubi & ipse mundus relinquatur præcipitur. Vel mons in quo Dominus reficit, est altitudo Christi: ibi ergo fenem super terram, (6) quia ibi celsitudo Christi, propter carnales, carnali spe, & desiderio tegitur; hic remota omni cupiditate carnali, convivas novi testamenti spe permanentes solidatoque continet: ibi quinque millia, qui carnales quinque sensibus subditi; hic quatuor propter quatuor virtutes, quibus spiritaliter muniantur, temperantiam, prudentiam, fortitudinem, & iustitiam: quarum prima est cognitio rerum appetendarum, & vitandarum; secunda refrenatio cupiditatis ab his quæ temporaliter delectant; tertia firmitas contra molesta sæculi, quarta, quæ per omnes diffunditur, dilectio Dei, & proximi: & ibi, & hic mulieres, & pa-vuli excepti sunt: quia in veteri, & novo testamento non admittuntur ad Dominum qui non perdurant occurrere in virum perfectum, vel infirmitate virum, vel levitate mentis. Utraque refectio in monte celebrata est, quia utriusque testamenti Scriptura & altitudinem cælestium præceptorum mandat, (7) & præmium. Utraque altitudinem Christi prædicat. Altiore mysteria, quæ non capit communis turba, Apostoli sufferunt, & implent, scilicet perfectorum corda septiciformis Spiritus gratia ad intelligentiam illustrata. Sportæ junco, & foliis palmarum solent contexti; & implent, scilicet sanctos, qui radicem cordis in ipso fonte collocant, ne arescant ut juncus in aqua, & palmam æternæ retributionis in corde retinent.

(1) *Al. tertium.* (2) *Al. omittitur locutione.* (3) *Al. ungebantur.* (4) *Al. substractæ.* (5) *P. Nicolai opponit origini.* (6) *Al. quia ibi est celsitudo Christi.* (7) *P. Nicolai habet & præmiorum.*

CAPUT XVI.

(a) **E**T dimissa turba, ascendit in naviculam, & venit in fines Magedan. Et accesserunt ad eum pharisæi, & sadducæi tentantes, & rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis. At ille respondens ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum; & mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum. Faciem ergo cæli dijudicare nōtis; signa autem temporum non potestis. Generatio mala, & adultera signum quærit; & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophete. Et relicta illis, abiit.

(b) Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, oblitus sunt panes accipere. Qui dixit illis: